



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

III. An creatio à termino distincta subiectum habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

alio principio nisi vnicè ab isto, posset hæc fieri illatio, quia ex eo præcisè, quod non habeat virtutem terminandi causalitates distinctas ab illis, quæ ab hoc principio procedunt, etiam ab hoc non dependeat per se ipsam non poterit ab alio procedere: ergo neque hoc, quod est non posse non dependere ab hoc principio, neque hoc, quod est non posse dependere ab alio arguit dependentiam identificatam huius termini cum hoc principio. Neque eo eo quod in his entitatibus non possit separari creatio à termino licet inferri identitatem cum termino, licet enim hæc sit optima consequentia: separantur: ergo non sunt idè, hæc non est legitima: non separantur: sunt idem, possunt enim dari entitates ita inter se connexæ ut non obstant illarum distinctione separari non possint. Qua solutione subsistere poterit doctrina tradita etiam respectu entitatibus, quæ tantum posset ex vi vnius creationis produci à Deo, non tamen id necessum est concedi respectu entitatibus, quæ non potest exillere nisi creata tantum à Deo tantum à principio adequato, quia adhuc de hac entitate dici potest, posse separari ab hac, & illa creatione determinatè sumpta, licet non collectivè ab omni creatione, sicuti de præsentia quantitatis multi sentiunt, asserentes non posse corpus adhuc de potentia absoluta sine præsentia exillere, tamen distinctionem inferunt inter corpus, & præsentia ex eo, quod à quacumque præsentia possit separari.

13 Obiic. Hurtad. Angelus per suam entitatem est independentis à subiecto: ergo non indiget creatione distincta. Probat consequentiam ex eo quod effectus formalis creationis est reddere terminum independentem à subiecto. Respondeo effectum formalem primarium creationis esse, ut ex vi illius existat effectus, ex quo resultat effectus secundarius, videlicet terminum illum non habere subiectum, seu repugnantia in termino ut dum existit ex vi talis creationis à subiecto dependeat. Ex his duobus effectibus primarium præstabit Angelo creatio ab illo distincta, item secundarium, quia ex eo, quod Angelus creationem terminet est impeditus & constituitur incapax dependendi à subiecto, licet ex se incapacitatem habeat ad talem dependentiam, quia effectus negativus potest à pluribus formis præstari, possunt enim esse plura impedimenta adæquata ad vnam formam positivam. Verum est creationem in Angelo non destruere in illo capacitatem dependendi à subiecto, quia illam non habebat, tamen illum iam ex se incapacem habendi dependentiam hanc, iterum incapacem constituit, taliter ut si ex sua natura dependere posset à subiecto, ex vi creationis haberet non posse ab illo dependere.

14 SEPTIMA CONCLUSIO. Verisimilius est, de facto creationem animæ rationalis, & creationem Angeli ab illis distingui. Trado hanc conclusionem magna cum formidine, quia nihil firmum pro altera parte contradictionis invenio. Trahor in istam à prioritate creationis, quam agnovimus in quâritate Eucharistica, & reliquarum actionum, quas omnes (demptis vitalibus intentionalibus) distinctas agnovimus: ergo eodem modo possumus philosophari de aliis actionibus existentibus, quas non novimus. Quod si in his specialem habemus rationem, quia experimur posse ab hoc principio, & ab illo, ex vi huius, illiusve actionis dependere ex eodem fundamento paritatem desumo: termini, quos hucusque potuimus experiri, dependere possunt ab eadem causa ex vi huius, vel illius actionis: ergo idem erit de aliis existentibus creatis, qui de facto dantur, quorum notitiam non possumus experientia acquirere: ergo sicuti termini producti, quos hucusque experti sumus à productione ipsorum distinguuntur, sic erit de aliis creatis existentibus, experientia enim non solum ducit in cognitionem illorum, quæ experimur, sed aliorum similium: si enim à paritate multa in Philosophia non affirmemus, innumera nobis supersunt omni fundamento destituta ad alteram contradictionis partem affirmandam. Ex quo fundamento dicis albedinem vni mediâ vniione superaddita, & posse à subiecto separari, nisi id in quantitate experiris? Ex quo capite affirmabis passionem superaddita, intellectum & voluntatem, si ab animo distinguuntur, produci mediâ actione, & posse ex vi huius, vel illius actionis produci, nisi à paritate illorum accidentium, in quibus distinctionem actionum potes experiri, quæ in his non nisi à paritate innotescere potest. Si non acquiescit animus partem, quam malueris defendendam elige, quam facilius defendere, quam statuere poteris.

PUNCTUM III.

An creatio à termino distincta subiectum habeat.

Præcipua difficultas, quæ Doctores coegit ad negandam actionem creaturam distinctam à termino desumitur ex natura accidentis, quæ necessario connotat subiectum, cui inhaeret, ac proinde si daretur actio creatura deberet esse accidentis propriumque subiectum respicere, quod repugnat conceptui quidditativo actionis creaturæ ut iam proba. Actio creatura si haberet subiectum, vel esset distinctum à termino, vel esset ipse terminus: non distinctum, quia si subiectum distinctum à termino respiceret, esset actus huius in hoc & à passione non distingueretur. Deinde quia nullum apparet subiectum à termino distinctum, creatio enim quantitatis tantum respicit quantitatem, si enim subiectum aliquod respiceret ab illo dependere quantitas, ad quam terminaretur hæc actio, & ex vi illius non creata, sed educta diceretur. Terminum non potest creatio tanquam subiectum respicere, probavi enim Controversia præcedenti puncto 3. actionem non posse subiectum in termino: ergo nullum subiectum potest habere creatio: ergo non potest esse accidentis: ergo non potest esse actio distincta à termino. Neque dici potest creationem esse modum substantiali, quia omnis actio à termino distincta est propter illum, & essentialiter ad illum ordinatur tanquam ad id, propter quod actio intenta est in rerum natura: ergo non est substantia, cuius conceptus est, esse per se, & propter se intenta. Secundò si respectu termini substantialis actio posset excogitari, hanc respectu termini accidentalis concedi omni probabilitate alienum est.

Propter hanc rationem nonnulli dixerunt creationem respicere tanquam subiectum proprium terminum, à quo in genere causæ materialis dependet, & se protegit mutua dependentia in diverso causarum genere, affirmantque creationem esse priorem termino in genere causæ efficientis, & posteriorem in genere causæ materialis. Probavi hanc mutuam dependentiam in nullis entitatibus admitti posse, sed adhuc admitti in aliis causis non posse reperiri inter causalitatem, & terminum, quia idemmet terminus esset prior, & posterior se ipso, & à se ipso dependeret. Melius respondetur actionem creaturam esse accidentis non tamen respicere subiectum, à quo in genere causæ materialis dependeat. Ad rationem desumptam ex natura accidentis dico non esse de conceptu accidentis respicere subiectum, à quo in genere causæ materialis dependet, ut probaui in Metaphysica, Controversia 6. Punct. 1. sed ordinari ad aliud propter quod intentum sit à natura, ut latius explicabo loco citato. Tradunt doctrinam hanc Soar disp. 20. Metaphysic. sect. 5. n. 27. Hurtadus disp. 12. sect. 4. Arriaga disp. 9. sect. 3. subiect. 4.

Obiicies. Actio creatura est modus termini: ergo ab illo dependet, non in alio genere causæ distincto à genere causæ materialis: ergo in hoc genere ab illo dependet. Respondeo, creationem esse modum termini, & ab illo dependere non tanquam à causa, sed tanquam ab extremo, cum quo habet necessariam connexionem, licet illum non supponat prius natura in aliquo genere causæ, sicuti vniō integralis partium quantitatis dependet ab extremis unitis, cum quibus est connexa, non tamen in aliquo genere causæ ab illis dependentiam habet. Idem dico de modo vniōis essentialis educto ex materia respectu formæ. Rationes aliæ, quæ contra nostram conclusionem adducuntur facillimè ex doctrina tradita solui possunt.

PUNCTUM IV.

An virtus creatura creatura competere possit.

Ata se offerebat disputationis materia, si vellemus rationes omnes, quæ pro negatiua parte quæstionis præfixæ à multis adducuntur, quæ idè plures quia inefficaces omnes, cum enim nullâ illarum acquiescat animus ad aliam investigandam quâcumque audita semper convertitur. Adducam præcipuas, quas apud doctores inveniunt, & iuxta propriam sententiam quæstionem definiam, quæ procedit de virtute naturali, & obedientiali ad creandum.